



Ung

N-184

Occasionia N-184.  
potissim in carminis gratul.  
vni in  
(Cafariana in alij peregrata)  
Intra peregrina. ~~184~~

184a



PERILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS,

ATQUE

EXCELLENTISSIMIS,

DIVI

HERMANNI

VVOLFRAMSDORFII,

TOGATI HEROIS INCLUTI,

SODALITII ACADEMICI CON-

DITORIS OPTIMI,

ETC. ETC.

FILLIIS,

DOMINO

JOANNI FRIDERICO,

ET

DOMINO

JOANNI GEORGIO,

POTENTISS. REGIS POLON. ET ELECT.

SAXON. CONSILIAR. COMIT. ET PRÆF.

DYNASTIS, MYGELÆ, SITTENÆ,

ETC. ETC.

DOMINIS GRATIOSIS,

GRATÆ AC DEVOTÆ MENTIS PIGNUS

OFFERO,

DISCEDENS EX CONVICTU

VVOLFRAMSDORFIANO

M. JOANNES CASPARUS SIBERUS,

SCANDANUS.

VITEMBERGÆ, EX OFFICINA GERDESIANA.



PERILLUSTRES ET GENEROSISSIMI  
DOMINI,  
MOECENATES EXCELLENTISSIMI,  
OPTIMIQUE.



Atura rerum gratæ mentis significationem tanti fecit, ut illam innumeris fere exemplis commendaret. Vix ullum enim inter illius opera cernas, quod benignæ procreatrici vicem non reddat, vitæque sibi creditæ præmium quoddam largiatur. Lætissimæ coelestis aedificiî lumina, non retinent quod acceperunt, sed splendorem spargunt, ac nullo licet præconio sic tamen lucis impertitæ beneficium divulgant. Oceanus non utique coeret in specubus ac voraginibus vires suas, sed ad litus gratæ mentis pignora profert. Jam enim pisce statim mensibus mensas ornat, et cupiditatem avidorum implet: jam uniones coquit et purgat: jam corallium e radicibus divellit, cumque naturæ non possit, hominum ac maxime foeminarum collo appendit, ac veluti cuidam templo consecrat. Eundem continentis terræ animum dixeris, in qua, si inter viscera illius ires, perennem beneficii memoriam spectares. Nunc enim saluberrimis fontibus per ipsa silicis centra viam cavat, ut non largiatur, sed effundat gratum officium: jam auri argenti que succos mirifico quodam modo colligit, aptisque partibus instillat, ac temperato foco coquit ac densat sic remunerationis avida, ut non expectet quoad flagitetur, sed in amplexum saepe petentium ruat. Quid referam flores tot coloribus in id modo pictos, ut naturam laudent? tot herbas & frutices, quarum quæque eandem virtutem alit, abundantique testimonio declarat? Arbores certe vix tantum ex coelo aëris, e terra, succi hauriunt, quantum foliis & multiplici pomo reddunt, quod & colore placeat, et novo sapore blandiatur. De animantibus vix quisquam dubitet. Haec enim si nulla re alia, pîlo saltem beneficium reddunt. Alia lanam sibi per annos demi, mira patientia ferunt. Alia voce, adlatratu et venatu profunt. Videas, et quæ arma sua offerant, cornua dentesque excutiant, ne muneris ignara habeantur. Aut si prorsus destituantur, dorsum certe oneribus subdunt, ac perpetuam servitutem potius, quam ingratae mentis maculam subire sustinent. Alia succum, innocenti furto haustum in alvearibus denuo deponunt diffunduntque. Alia picem arborum stupendo labore in specus trahunt, inque suffimenta servant, ne gratis accepisse vitam videantur.

antur. Domesticæ aves exigua hordeorum grana ovis multo majoribus aequant: sylvestres cantu et pullis, et sua in caedem oblatione, palucorum pretia exsolvunt. Quo turpius foret, si homines, tanto excellentiores, quanto ratione præstantiores, hanc ipsius naturæ legem ignorarent, aut ab illis sibi palmam eripi paterentur, ad quos ab homine honesti quædam imitatio derivari debet. Neque tamen est quod querar. Perstitit quippe ad hunc diem hujus virtutis vigor, & licet apud paucos forte exaruerit, apud plurimos tamen præcipuosque se flore suo prodit. Et ut ingentia exempla præmam, DIVUS Ille HERMANNUS WVOLFRAMSDORFFIUS, Vestrae Illustrissimæ gentis per aliquot secula Princeps eandem splendidissime exhibuit. Is quum collatum sibi cerneret divinum et excellentissimum ingenii lumen, dotesque corporis Principe VIRO dignas, cum et ad principale fastigium evectum, honore, opibus, et totius Patriæ Votis applausuque circumdatum nosset, recte censuit, DEO, naturæ, Patriæ, grates referendas esse. Unde non illud monumentum statuit, quod saxo aut aere constaret, sed quod orbium coelestium sonos, perpetuos illos constantesque imitaretur. Cum enim antiqui Principes memoriae suæ statas epulas instituerent, Ille suo censu, immortale quoddam Juvenum erudiendorum sodalitium conscripsit, qui copiose per omnem futuri temporis cursum alerentur. Res sane tanto majore laudum concentu digna, quo rarius tantæ benignitatis exempla prostant. Quippe ex omni equestri ordine vix ullam gentem dicas, quæ in has laudes abire contendat, ut DIVUS HERMANNUS post Principes nostros, unus fere et solus celebrandus sit. Quis enim tantam argenti vim, sibi, gentique suæ, ac nepotibus subtraxit, aliisque dicavit, quos haud alia ratione, præterquam pietate, coelestique amore contingebat? Cumque ille tantum grati animi exemplum dederit, quid mirum alios surgere, qui ad hanc imitationem abeant, et ex HERMANNO, Numini, Patriæ, et Patronis gratias referre discant? Quod eo fortius mihi incumbit, quo propius ego, O ILLUSTRES HERMANNI FILII! ad hanc DIVI Patris admirationem admittis fui, quando diviniore aliqua fors, ejusque beneficentia constituit, ut per triennium fere, ALUMNUS WVOLFRAMSDORFFIANUS dicerer. Quid? egone per hoc spacium defes essem? Imo, volupè mihi fuit, sæpe venerari tam benigni Herois animum, ac mirari fontes, e quibus ingens illud beneficium fluxit. Cumque deprehenderem, gratæ mentis affectum, hoc ipsum factum imperasse, fateor me sacro igne tactum, de  
monu-

monumento cogitasse, quo me prorsus ad ejus venerationem compositum testarer. Praestabitque illud hoc scripturae genus, quod quam leve et minus dignum ipse censeam, DIVO tamen HERMANNO, Vobisque, PERILLUSTRES FILII DOMINI GRATIOSI, illud dedico, ac velut perennem observantiae tesseram confecro. Tu equidem, DIVE et INCOMPARABILIS HEROS, nec meis nec alienis laudibus indiges. Quippe has universus orbis praedicat, quodque majus arbitror, divinae mentes, quarum consortio gaudes, TIBI laudes ad animum penetrantes, easque haud quicquam interruptas canunt, attamen mihi Alumno Tuo sit, eritque haec Tui memoria constans, perennis et aeterna. Vos vero, O ILLUSTRES ac GENEROSISSIMI DOMINI, quorum consensu et sacro in Patrem obsequio servatur, quod DIVUS ille constituit, Vos supplex compello, hoc grati animi pignus benigni suscipiatis, gnari, me, quod literis jam jam promissum, id olim intra pectus concepisse, et nunquam non intra animum agitaturum esse. Ita namque aeternum illud et immortale Numen precor, ut Vos Excellentissima et beneficentissima stirpe natos, iisdemque virtutibus innutritos, paternoque fastigio ferme admotos, firmos ac stabiles servet. Solent aliquando ex immutabili fatorem lege gentes migrare, et familiae ad statum sibi terminum properare; mea autem grati animi pietas, perpetua vota, velut aeternum ignem Deo offeret, ut, cum caeterae intercidant gentes, Vestra tamen novo exemplo fortuna honoribusque aucta, pari passu cum aeternitate currat. Praestabuntque id et aliorum vota, quotquot enim Alumnos alitis, tot aras habebitis, quarum quaeque studio indefesso pro salute Vestra litat. Nec putetis velim, me sic Vestrae genti satisfactum arbitrari. Sit hoc initium pronae, et imperfectae voluntatis; quam, quo magis aetate crescam, eo magis veneratione declarabo. Vos, O ILLUSTRES DOMINI, e quorum victu jam discedo, ut aliis ejus beneficii copia detur, Vos, inquam, oro, obtestorque, eum in me induatis animum, sicque Clientem Vestrum foveatis, ut si qua fieri possit obsequium meum prorsus Vobis consecretur. Utque gratum duxi ALUMNUM VVOLFRAMSDORFFIANUM citari, ita haud minus auspiciatum fore reor, si quando gentis Vestrae sacerdos siam, quaeque nunc vota tacitus premo, ea tandem in templis Vestris concipiam, eorumque composui et publico et grato ore persolvam. Scrib. Vitebergae  
Saxonum Die XII. Januarii A. O. R.  
M. DCC. IV.

Ung. VI 184

NO 18  
NO 18





PERILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS,  
ATQUE  
EXCELLENTISSIMIS,  
DIVI

HERMANNI

AMSDORFII,

EROIS INCLUTI,  
ACADEMICI CON-

RIS OPTIMI,  
ETC. ETC.  
ILLIIS,

MINO  
FRIDERICO,

ET  
MINO

GEORGIO,

GIS POLON. ET ELECT.  
LIAR. COMIT. ET PRÆF.

MYGELÆ, SITTENÆ,  
ETC. ETC.  
GRATIOSIS,

EVOTE MENTIS PIGNUS  
OFFERO,

NS EX CONVICTU  
AMSDORFIANO

JOANNES CASPARUS SIBERUS,  
SCANDANUS.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA GERDESIANA.

